

vero corporum metallorum præparata, pro corpore azimo vel rubeo. Spiritus vero albus vel rubeus ex corporibus extrahitur, vel figitur, & præparatur ab ipsius met spiritibus. Si cæteris autem lapidibus abluitur lapis & mundatur, figitur & tingitur, & rectificatur in operis festinatione. In commistione vero proportionata prædictorum præparatorum resultat nova forma, & sic fit elixir, in quantum materia plus quam Sol naturalis est digesta & tincta.

*Finis Rosarii minoris, incerto Auctore.*

## MAGISTRI ALBERTI MAGNI EPISCOPI RATISBO- nensis, De Alchemia Præfatio.



M N I S sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum. Quicunque ergo diligit sapientiam, apud ipsum quærat, & ab ipso petat, quia ipse dat omnibus affluenter, & non im properat. Ipse enim est altitudo, & profunditas omnis scientiæ, & thesaurus totius scientiæ: quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia: & sine ejus voluntate nihil potest fieri: ipsi honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Vnde in principio mei sermonis invoco ejus auxilium, qui est fons & origo omnium bonorum, ut ipse per suam bonitatem & pietatem dignetur parvitatem scientiæ meæ supplere per gratiam sui Spiritus sancti, ut permeam doctrinam lumen quod in tenebris latet, manifestare valeam, & errantes ad semitam veritatis perducere: quod ipse præstare dignetur qui sedet in excelsis, Amen.

Cum multas regiones & plurimas provincias, nec non civitates & castella causa scientiæ, quæ vocatur Alchemia, maximo labore perlustraverim, & à literatis viris & sapientibus, de ipsa arte ab ipsis diligenter inquisierim, ut ipsam plenius investigarem: & cum scripta omnia perscriberem, & in operibus ipsorum sæpiissime persuadarem, non inveni tamen verum in his, quæ libri eorum affirmabant. Aspexi ergo libros contradicentium & affirmantium, & inveni eos vacuos esse ab omni profectu, & ab omni bono alienos. Inveni enim multos prædivites literatos, Abbates, Præpositos, Canonicos,